



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

VI. Rabanvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

dovico, nec Carolo: unde effatum poeticum à Nidhardo Angelberto relictum ita habet:

Scilicet arma minùs, quàm Sacra Otgarie noras.

Concilium an. 834. præsentibus Archiepiscopis Trevirensi & Coloniensi unà cum Suffraganeis celebravit. In Italiam annis Archiepiscopatus sui ultimis, ut lites regias Pontificis autoritate juvaret componere, profectus, D. Severi reliquias Ticinò in Germaniam secum retulit, postquam Moguntiam illustravit annis 22. sub Pontificibus Paschale I. Eugenio II. Valentino & Gregorio IV. quin & Sergio II. an. 847. vità defunctus.

VI. RABANVS.

Rabanus Magnentius Maurus Fuldæ in Hassia natus, educatus, optimis moribus & literis in monasterio antiquissimo juxtà ac celeberrimo imbutus, ibidémque supremus artium ac scientiarum Magister, Rector & demum etiam Princeps Abbas jure optimo electus, ornamentum suo præsertim seculo fuit Ecclesiæ & Imperij maximum. Nemo nimirum Imperatori Ludovico Pio & hujus filiis pretiosior erat Rabano, qui ea moderatione animi inter publica dissidia se noverat gerere, ut tametsi literis solaretur Augustum parentem variis, Augusti tamen filij suas partes offendi haud fuerint conquesti, non minùs epistolis & foliis palàm in lucem editis instructi & animati, ut genitori cederent filij, & Imperatori promptam exhiberent obedientiam subditi universi. Annis & meritis jam gravi, communi omnium Canonicorum & populi applausu oblatum est pedum Moguntinum, ea nimirum Præfulis ætate, qua baculo senectus ipsius opus habebat & Respublica novo Scipione. Ut verò solitudinis amantissimus Antistes tantum onus in se susciperet, necesse fuit, ut Pontifex, Imperator & vox populi id ipsum consiliis suaderent, & precibus urgerent. Tot igitur vocatus suffragiis venit, & 9. annorum compendio plu-

ra egit, quàm agere solent multi alij plurimorum annorum longè spatio: habito namque Moguntia Concilio Godeschalcum condemnavit cum sectatoribus, simulque Moguntinam cum Ecclesiis præsertim Germanis omnibus doctrinâ & morum emendatione illustravit, haud ipse gravatus senex ad concionem dicere, in urbes, oppida & villas Apostoli instar excurrere, atque in subjectorum sibi antistitum simulque parochorum vitam sedulò inquirere: quæ omnia eò magis sunt admiranda, quòd simul ingentem librorum copiam ingenij sui partum fœcundissimi posteritati potuerit relinquere; quæ aliâq; multa cum partim à Wione & Trithemio, partim à C. Bellarmino, Sigeberto, Brovero aliisque multis authoribus copiosè fuerint descripta, ego pluribus hîc referre nolui. Brevitatis causâ id solùm silentio haud prætereundum duxi: grassante pestilentia & famis publicæ malo Rabanus diebus singulis pro tribus pauperum millibus alimenta subministravit, non annumeratis iis mendicabilis, quæ domi alere non est gravatus, jure *pauperum Pater* dictus. Multis vixisse annis ex eo colliget Lector, quòd an. 810. jam Rector Fulda promulgatus, an 822. Abbas electus, & demum Archiepiscopus creatus sit, mortuis annumeratus an. 859.

VII. CAROLVS.

Absit procul à nobis, ut vitam damnemus Monasticam, quam aulis regiis præhabuerunt Imperatores & Reges, & Regum filij, terrestres Dij. Carolus Pipini Aquitania Regis filius, Ludovici Pij Imperatoris nepos, relicta aulæ deliciis, Corbejense monasterium ad Visurgim situm petiit, in quo tantùm profecit, ut virtutibus longè excellentior, quàm genere clarior, promeritus sit inter Archiepiscopos Ecclesiæ Germanicæ primus honorari & celebrari. Hoc in celsissimo munere quanti æstimare perrexit Monachorum Regulam, ex eo collegere etiam gnavi rerum observatores, quòd Caroli Archipræsulis hortatu aut consilio persuasus Imperator